



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Fouillon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

VII. Non fidendum ingenio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

OPTIMÆ CONSENTIENS. 167

miscuerat, cùm tandem, seu ne longiore  
mora tædium crearet, seu quia aliqua re-  
ctè eligendi conjectura videbatur: hanc,  
inquit, mihi pyxidem opto, & simul eam  
ambabus manibus comprehendit, velut  
possessionem capturus. Aperitur: & ecce  
tibi plumbea gaza apparuit, querulóque  
optatori verecundiam incusit, aulæ uni-  
versæ risum excusit. Post quam desiti ca-  
chinni, Sigismundus ad eum conversus:  
tu ergo, inquit, deinceps imputa tibi for-  
tunam tuam, non mihi: quippe sic ipse-  
met elegisti.

VII.  
*Non fi-  
dendum  
ingenio.* O quoties similia nobis contin-  
gunt! Fortunæ dicam inpingimus  
& litem facimus, nova desidera-  
mus, ignota petimus, eligimus pejora,  
amittimus meliora, affectibus cœci, & à  
Deo nobis relictæ, quia eo duce & ele-  
ctore contenti non sumus. Auctor So-  
liloquiorum cap. 16. sic inducit loquen-  
tem Augustinum: *Credebam me sufficere*  
*per me, nec perspiciebam quoniam turegebas*  
*me, donec aliquantulum elongasti à me, &*  
*cecedi statim in me, & vidi, & cognovi.*

Verè

Verè de illo Monicæ à Simpliciano dicitur, *Fidere ipsum nimis ingenio suo*: ideoque permisus sibi à Deo, plumbum præ auro elegerat, hæresin præ Catholica fide, luxuriæ fordes præ continentia luce donec suimet pertæsus, Deo se credidit. Philo, libro 2. Allegoriarum legis, de inanibus hominū consiliis & ingeniis agens: *Audis, inquit, interdum medicum dicentem, ego his medicamentis, & alimentis, agrum meum persanabo. Sed saepe natura sine istis sanavit agrum, & cum istis interemit. Agriculta ait: Seram, plantabo, apta est tempestas, culta tellus, selecta sementis: paullò post imber, aut aestus, aut miles spem vanam auferunt.* Proinde optimum est, postquam quod industriæ tuæ est feceris, eventum Deo credere; neque incertis cogitationibus conjecturisque fallacibus nimis inniti.

VIII. Opus Samsone non est, ut prudentiae nostræ palatia subruantur: febricula una non solùm sanitatem & formam auferet, sed etiam eloquentiæ & sapientiæ silentium indicet.

Multos